BIBLIA LATINA, BD. 1

Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh.

Seite 183r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

hanc. Ait ergo David ad Uriam: mane hic etiam hodie et cras dimittam te. Mansit Urias in Ierusalem die illa et altera. Et vocavit eum David ut comederet et biberet coram eo et inebriavit eum. Qui egressus vespere dormivit in strato suo cum servis domini sui et in domum suam non descendit. Factum est ergo mane et scripsit David epistolam epistolam ad Ioab misitque per manum Urie scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli ubi fortissimum prelium est et derelinquite eum et percussus intereat. Igitur cum Ioab obsideret urbem posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos. Egressique viri de civitate pugnabant adversum Ioab et ceciderunt quidam de servis David et mortuus est Urias etiam Hetheus. Misit itaque Ioab et nuntiavit David omnia verba prelii. Precepitque nuntio dicens: Cum compleveris universos sermones belli ad regem si eum videris indignari et dixerit: Quare accessistis ad murum ut preliaremini? An ignoratis quod multa desuper ex muro tela mittantur? Quis percussit Abimelech filium Ierobaal? Nonne mulier misit super eum fragmentum mole et interfecit eum in Thebes? Quare iuxta murum accessistis? Dices: Et servus tuus Urias Hetheus occubuit. Abiit ergo nuntius et venit et narravit David omnia que ei preceperat Ioab. Et dixit nuntius ad David: Prevaluerunt adversus nos viri et egressi sunt ad nos in agrum. Nos autem facto impetu persecuti eos sumus usque ad portam civitatis. Et direxerunt iacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper. Mortuique sunt quidam de servis tuis. Quin etiam et servus tuus Urias Hetheus mortuus est. Et dixit David ad nuntium: Hec dices Ioab: Non te frangat ista res. Varius enim eventus prelii est, et nunc hunc et nunc illum consumit gladius. Conforta bellatores tuos adversus urbem ut destruas eam, et exhortare eos. Audivit autem uxor Urie quod mortuus esset Urias vir eius, et planxit eum. Transactoque luctu misit David et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor peperitque ei filium. Et displicuit verbum hoc quod fecerat David coram domino.

XII

Misit autem ergo dominus Nathan prophetam ad David. Qui cum venisset ad eum dixit ei: Responde mihi iudicium. Duo viri erant in civitate una: unus dives et alter pauper. Dives habebat oves et boves plurimos valde. Pauper autem nihil habebat omnino preter unam ovem parvulam quam emerat et nutrierat, et que creverat apud eum cum filiis eius simul de pane illius comedens et de calice illius bibens et in sinu illius dormiens. Eratque illi sicut filia. Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus suis ut exhiberet convivium illi peregrino qui venerat ad se, tulit ovem pauperis viri et preparavit cibos homini qui venerat ad se. Indignacione autem iratus David adversus hominem